





DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE EO, QVOD IYSTVM EST

CIRCA PROMISSA
NOBILIVM, 1724, 18
VERNAC.

Bon der Cavalier = Parole;

QVAM

IN PER-ANTIQA VNIVERSITATE ERFORDIENSI
RECTORE VNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,
VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, PRÆNOBILI, AMPLIS-
SIMO ATQVE CONSVLTISSIMO,

DOMINO

CHRISTOPH. IGNATIO
DE GVDENVS, J. V. D.

INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC
CELSISS. PRINC. ELECTORIS MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EIVSDEM-
QVE PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO;

EX DECRETO ET AVTORITATE AMPLISSIMÆ
FACVLTATIS IVRIDICÆ

PRÆSIDE

DN. ERNESTO TENZELL, JCTO,

EMINENTISSIMI PRINC. ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIO REGIMINIS,
IJDICII PROVINCIALIS ERFORDIENSIS ASSESSORE, AC DICTÆ CIVITATIS
CONSULE PRIMARIO, FACVLTATIS IVRIDICÆ h. t. DECANO,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IURE HONORES, ET PRIVILE-
GIA DOCTORALIA

RITE AC LEGITIME CAPESSENDI,
PVBLICÆ DISQVIVISIONI OFFERT

JOHANNES HENRICVS ALBINVS,

ZIBINGA - MARCHICVS.

AD DIEM XXIV. APRILIS, A. O. R. MDCCXXIV.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS. HOR. CONSVET.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

DISERTATIO IN AVOVATIA JUDICIA

1710

CHRISTOPH. PROMISSA

NORIMBERGAE

1710

CHRISTOPH. PROMISSA

CHRISTOPH. PROMISSA

CHRISTOPH. PROMISSA

CHRISTOPH. PROMISSA

CHRISTOPH. PROMISSA

CHRISTOPH. PROMISSA

CHRISTOPH. PROMISSA

CHRISTOPH. PROMISSA

CHRISTOPH. PROMISSA





Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE EO, QVOD IYSTVM EST
**CIRCA PROMISSA NO-
BILIVM,**
Vern. *Bon der Cavalier-Parole.*

Caput I.

De Promissione in genere.

§. I.



DE ea promissionis specie peculiari
acturo, qua Nobiles sub oppigno-
ratione quasi honestatis sese atrin-
gere solent, haud abs re videtur,
primo loco de Promissione in ge-
nere non nihil dispicere, cum ei,
qui generis naturam non habet
fatis perspectam, vix ac ne vix quidem speciei essen-
tiam atque proprietates cognoscere detur.

Cur quaedam
de promissio-
ne in genere
præmittan-
tur?

A 2

§. II.

§. II.

Promissio nuda quid?

Possimus nimirum obligationem inter alia contrahere promissione, etiam mere gratuita, cujus natura & effectus ut penitus intelligatur, initio statim considerandum venit, nos diverso modo posse loqui de re quapiam alteri præstanda, quæ jam est in nostra potestate, vel fore putatur; nudè si quidem explicare possumus animi nostri propositum in præsentiarum de re quadam ad futurum tempus spectante, conceptum. Nudè autem is animi sui destinata explicare dicitur, ex cujus verbis nil colligi potest, quo se necessitati obstrinxerit in declarata voluntate perseverandi & ex tali promissione neque nobis obligatio, neque alteri jus ad promissi adimpletionem nos cogendi nascitur. *L. 108. §. 1. ff. de V. O. e. g.* Si alicui me promitterem suscipiendi ad instantes nundinas Lipsienses itineris comitem, postmodum autem propositum hoc mutarem, ex nuda tali promissione alter nullum jus nancisceretur me invitum ad ineundum iter cum ipso adigendi, imo nec naturaliter ad id obstrictus essem.

§. III.

Circa nudam promissionem quid liceat?

Etenim ut hujusmodi promissio vitio careat, nihil aliud requiritur, quam ut revera eo tempore mihi mens talis sit, qualem profiteor, nec mendacio alteri illudere intendam, quippe etiam naturaliter licet conceptum consilium aut nudum quodvis animi propositum, mutandi quanquam honestatis omnino sit, non sine fontica causa etiam nudum ejusmodi promissum revocare, levis enim animi id nota esset. Certum
in-

interim est, illud obligationem non parere, & hinc talis promissio non immerito simpliciter imperfecta vocaretur.

§. IV.

Luculentum plane hujus rei exemplum suppeditat testamenti factio. Quotusquisque enim est, qui ignorat ex ipsa Legum dispositione hominis voluntatem hic esse ambulatoriam usque ad ultimum vitæ habitum, ita, ut quem hodie hæredem scribo, cras possim hæreditate iterum privare, & vel alium instituere hæredem, vel plane intestatus mori. Testator enim haud quaquam in testamento jus successionis de præfenti in hæredem transtulit, cum tacita conditione testamentum fecisse putetur, quasi scripsisset: hic hæres meus esto, ille legatum hoc vel illud habeto, nisi ante obitum voluntatem hancce meam mutavero. Interim levis animi haud leve indicium esset, si quis testamentum suum sæpe nimis mutaret, imo nec honestati conveniens esset, si id faceret, ut vana spe alios lactaret. Cujus rei dignum notatu exemplum VALER. MAXIM. *Lib. VII. cap. 8. n. 5.* refert de Q. Cæcilio, qui L. Luculli promptissimo studio maximaque liberalitate & honestum dignitatis gradum & amplissimum patrimonium consecutus, cum præ se semper tulisset, unum illum sibi esse hæredem, moriens etiam annulos ei suos tradidisset, Pomponium Atticum testamento adoptavit, omniumque bonorum reliquit hæredem. Sed fallacis & insidiosi Cadaver populus Rom. cervicibus veste circumdatum per viam traxit. Cui narrationi prælaudatus autor hanc subnectit epigrammā: Itaque nefarius homo filium quidem & hæredem

Quid cavendum in nudæ promissionis revocatione ?

habet, quem voluit, funus autem & exequias quales meruit. Aliud ejusmodi exemplum quod ratione impunitatis ferè solum huic dissimile est, apud eundem l. c. n. s. de T. Mario, Urbinatè, legere est.

§. V.

Promissionis
imperfectæ
alia species.

Sed datur adhuc alia promissionis imperfectæ species, quæ nimirum ad perfectæ naturam propius accedit, estque declaratio voluntatis liberæ de re futuro tempore præstanda, perseverantiam in proposito & per consequens etiam obligationem ad implementum continens, haud tamen eò sufficientem ut alter promissum exigere possit. Cujus rei insigne exemplum suggerit promissa, pro præstito beneficio, gratitudo, ea quippe actione civili extorqueri non potest. Quemadmodum enim *actio ingrati* non datur, ita nec ullam ex promissa gratitudine Leges suppeditant. Equidem non negabo olim apud unam alteramve gentem ex græcis præsertim *actionem ingrati* obtinuisse, & SENECA L. III. de benefic. Cap. 6. de Macedonibus solum hoc asserit: *Excepta Macedonum gente non est in ulla data adversus ingratum actio.* Verum enim vero extra dubitationis aleam positum est, hodie *ingrati actionem* omnibus Gentibus Europæis, ignorari.

§. VI.

Digressio oc-
casionalis de
actone in-
grati.

Utut enim apud plerasque dictas gentes jus Civile Romanum sit receptum, & ex ejus dispositione ob ingratitude revocentur donationes, si Donatarius in Donatorem injurias effuderit, vel manus impias eidem intulerit, vel insidiatus fuerit. L. fin. ff. de

de revoc. donat. L. 7. Cod. eod. revocentur, & ingrati filii emancipati in patriam potestatem. L. un. C. de ingr. ingrati liberti in servitutem. L. 2. & fin. C. de Libert. recidant. Aliud tamen est pœnam ingratitudeis quibusdam in Casibus statuere, aliud ingrati actionem proderem, ut mirer hæc duo diversissima confudisse. Gregor. Tholosan. in syntagm. Juris Univ. L. XXXIX. c. 1. §. 16. sed multo adhuc magis miror calculum suum non obscure ipsi hac in re adjicere BOECLERUM in dissertat. de Actione ingrati. An autem merito danda esset actio ingrati tanquam actio civilis ad gratitudinem ingrato quasi extorquendam, in præsentiarum non disputabo, acquiescens interim sententiæ olim SENECAE in L. de beneficiis. l. c. & plerorumque modernorum Juris naturæ Consultorum inque his GROTIJ atque PUFENDORFFII. In aprico quippe est ratio quare ob simplicem ingratitude, quando quis nimirum acceptorum beneficiorum obliviscitur, aut occasione data gratiam referre recusat, neque bello quis peti, neque in foro civili actione pulsari possit; nam ea ipsa de causa beneficium alteri dedi i. e. ejus quod dedi refusionem mihi stipulatus non sum, ut & alteri foret occasio ostendendi, se honesti amore, non ex metu coactionis gratiam referre, utque ipse non spe lucri, sed studio humanitatis exercendæ, videar erogasse, de quo recipiendo mihi cavere noluerim.

§. VII.

Perfecta demum promissio est, quando quis non solum voluntatem suam pro futuro tempore determinat circa rem quampiam alteri præstandam; sed etiam simul

Promissio perfecta.



mul indicat, se jus in eundem conferre, ut rem promis-
sam plene percipere queat. Hæc adeo non potest non per-
fectam operari obligationem. Et sane fidem verbis
datam esse servandam, ac posse aliquem solis verbis
sibi conciliare necessitatem aliquid præstandi, apud
omnes in confesso est. Merito *ULPIANUS in L. 1. ff.
de pactis, quid tam congruum fidei humanæ, quam ea,
quæ inter eos placuerunt servare?* vel ideo enim pro-
missa ejusmodi, quæ certi & determinati quid alte-
rum promissum acceptantem à nobis expectare ju-
bent, necessario sunt implenda, quia alter fidem no-
stram secutus, rationes suas ad ista attemperavit. Lu-
culentum perfectæ promissionis exemplum præbet
promissio dotis, quæ arctissime promittentem ad
præstationem obligat. *L. 6. C. de dot. promisi.* imo *L.
un. §. 1. de rei uxor act.* constitutum est semper pro-
missioni dotis credi inesse stipulationem, unde compe-
tit pro exigenda dote actio extipulatu, cui annexa
est tacita hypotheca.

§. VIII.

An omnes
perfectæ pro-
missiones ad-
implerionem
obligent?

Omnes autem omnino promissiones perfectas
Legibus & honestati haud contrarias adimplendas esse,
statuere, nullus dubito. Dantur quidem casus qui
exceptionem ab hac regula requirere videntur, sed si
res penitus consideretur, exceptioni locum haud fa-
ciunt. Fit, e. g. haud raro, ut debitor in casum haud
factæ, tempore convento, solutionis, non modo ad
interesse, sed etiam ad omnes expensas, tam judici-
ales, quam extrajudiciales, se obliget, ut a Credito-
re faciendæ liquidationi acquirere, nec judi-
cis

cis moderationem desideraturum promittat. Quæritur jam, si Creditor postmodum expensas duplo vel plane triplo majores fingeret, an non moderationi locus sit, utut debitor eidem renunciaverit. Sunt qui negant, quos inter deprehendo DAN. MOELLERVM ad *Constit. saxon. 31. P. 1. n. 6.* JOACH. à BEVST in *L. 17. ff. de Jurej. n. 3. & seqq.* PETR. HEIG. *P. 2. qu. 3.* sed affirmativa potior videtur, non obstante promissione. Expensas enim juxta consignationem Creditoris solvere promisit debitor, non duplum vel tripulum expensarum; ad id siquidem solum per promissionem suam se obligavit debitor, quod citra scrupulosum examen expensas juxta consignationem creditoris solvere velit, nec moderationi judicis eam subicere, utut paululum in excessu peccare consignatio videatur. Verbô: Tacita promissioni debitoris conditio subest: *nisi plane enormes & manifestissime multo majores, quam revera fuerunt, expensas Creditor consignaverit.*

S. IX.

Quamvis enim regulariter, quando semel promissio purè facta, huic postea conditionem adjicere, eamque adeo restringere haud liceat, toto cœlo enim differunt *promissio pura & conditionata*: Res aliter tamen est comparata, si conditio sit ejus generis, ut luce meridiana sit clarius, tacite eam subintellectam voluisse promittentem, siquidem in hominem sanæ mentis promissum absque tali tacita conditione non caderet. e. g. si dives quidam Mercator promississet alteri cuidam commercia auspicianti mutuo dare, citra

An conditio tacita nunquam locum habeat?

B

usu-

ufuras aliquot centum imperiales, ex improvifo plane infortunio autem dives ille mercator adeo ad incitas redigeretur, ut præter dictam, sine ufuris, mutuo dandam pecuniam nihil amplius in bonis haberet, quis dicere sustineret, hoc non obstante teneri ipsum ad promissum suum adimplendum? tacitam sane conditionem: *nisi ipse promissa pecunia summè opus habuero*, promisso huic subesse nemo negabit, qui promissorem mentis suæ compotem credit. Pariter res comparata est cum nostro casu, citra enim in §. præc. memoratam tacitam conditionem absurdum confiteretur, debitorem ex promisso suo in infinitum teneri, ita ut si e. g. expensæ revera 10. imperiales haud excederent, nihilominus debitor creditori solvere 10000. teneretur, si tantum hic ab ipso posceret.

§. X.

Exemplum tacite conditionis presumta in donatione.

Egregium hujus rei exemplum iterum suppeditat nobis Jus civile in materia de donationibus. Satis enim notum est ex hujus sancitis duplici potissimum ex causa revocari donationem, etiam perfectam, tum nimirum ob ingratitude donatarii, *L. 1. C. de rev. donat.* tum ob inexpectatam supervenientiam liberorum, *L. 8. C. eod.* cui dispositioni juris civilis nulla alia ratio subesse potest, quam subintellectæ in qualibet donatione conditiones: *nisi ingratus extiterit donatarius; nisi forsan liberi mihi adhuc nascantur.* Hinc non possum facere cum PEREZIO *ad tit. C. de rev. donat. n. 16.* statuente supervenientem legitimationem liberorum naturalium ititem irritam reddere donationem, allegata enim *L. VIII. C. D. T.* expresse loquitur de donatore

natore *improle & postea susceptis liberis*, & adeo non de jam natis tempore donationis, nec tali in casu supra dicta posterior tacita conditio locum habere potest, Donator enim, qui jam habet liberos, donationem ex conditione: *ni, jam improlis, liberos in posterum susceperim*, suspendisse intelligi nequit. Et licet quis excipere posset, ut in nostro casu tacita conditio supervenientis liberorum exulet, alteram tamen *supervenientis liberorum per subsequens matrimonium legitimatio* locum habere, non minus præsumendam quam illam: Sed respondetur, LL. hanc, non autem illam, ignorare, unde colligi potest, validam præsumtionem non æque pro hac ac pro illa militare.

§. XI.

Nec PEREZII ratio quam asserto huic suo substruit, illi probando sufficiens est, utpote in eo consistens, quod legitimatio per subsequens matrimonium faciat taliter legitimatos habere omnia jura legitime natorum ab initio. Hæc legitimatio enim ex liberis ante donationem natis non potest facere liberos post donationem natos, tales autem dicta lex requirit. Imo si res probe consideretur hæc adducta ratio assertum Perezianum potius evertit, quam stabilit. Si enim tantum, juris (non autem plus,) habent liberi naturales ante donationem nati & per subsequens matrimonium legitimati, ac si ab initio legitime nati fuissent, non poterunt donationem irritam reddere, cum per ante demonstrata, si ab initio, ante nimirum donationem, legitime nati fuissent, id haud contigisset. Ali- ter adhuc proprio PEREZII gladio hæc ipsius sententia

Ratio Perezii ex qua legitimatorem per subsequens matrimonium donationem irritare concludit inconsequenter arguitur.

jugulari potest: ibidem enim plane loci eâ solum ex ratione negat vel arrogatos, qui etiamnum habeant jura legitimorum liberorum, vel adoptivos, qui olim habuerint, infringere ante arrogationem vel adoptionem factam donationem, quod alioquin donatori parata esset via ad revocandam quandocunque vellet donationem, quod autem admitti non debere evincant *L. 17. §. 1. ff. de adopt. eoque pertinens L. 76. ff. de condit. & demonstr. quæ dicat, fideicommissum à filiis ita relictum, si quis ex his sine liberis diem suum obierit, adoptionis commento non excludi.* Atqui pariter, si succedens legitimatio liberorum naturalium donationem irritaret, Donator, quandocunque liberet, hanc revocare posset, siquidem in potestate ipsius posita est legitimatio per subsequens matrimonium.

§. XII.

Quanam donatio dictam ob causam sit revocabilis?

In eo vero plane consentio *Perezio*, quod per supervenientiam liberorum non alia donatio revocabilis fiat, quam quæ vel est omnium bonorum, vel majoris saltem eorundem partis. Licet enim illa *L. 8. C. de rev. donat.* in genere partis alicujus bonorum mentionem faciat, non obscure tamen ex ea colligitur, de parte non exigua id intelligendum esse, cum alias absconum fuisset casum expresse de donatione vel omnium bonorum, vel partis eorundem formare, cum perse necesse sit, eum qui alteri aliquid donat, vel ex toto vel ex parte bona sua donare, si per partem quamcunque etiam particulam intelligas. Nonne ridendum se plane propinaret ille Donator, qui e. g. strenam aliquot grossorum (qui tamen utique parti-

particulam bonorum ipsius constituunt) famulo forsitan suo datam, ob supervenientiam liberorum revocare vellet? Quantam autem bonorum partem minimum comprehendere debeat donatio per supervenientiam liberorum revocabilis, LL. haud est determinatum & adeo arbitrio Judicis relictum, partemque hanc DD. nonnulli interpretantur de dimidiâ majore, ut videre est apud TIRAQUELLVM in *illam* L. 8. C.

§. XIII.

Personæ autem quæ promittendo se obligare que-
unt; sunt omnes homines qui rerum suarum sunt ar-
bitri & actionum suarum conscii, scæminæ adeo æque
ac masculi, muti, surdi, cæci, non autem furiosi vel
mente capti, quemadmodum nec prodigi, aut extreme
ebrii, aut dormientes, nec impuberes quantumvis pu-
bertati proximi, nec Minores. Hi enim omnes per
notissima juris valide nec pacisci nec contractum ce-
lebrare possunt, nec per consequens promittendo se
obstringere. Limitationem tamen hoc assertum ad-
mittit intuitu furiosi & mente capti, qui habet diluci-
da intervalla, in quibus mentis sic satis est compos.
Et quamvis impubes & minor curatore destituti de
Jure Civili obligari dicantur, quemadmodum ex con-
tractu, ita & per consequens ex promissione, cum ta-
men, quotiescunque sunt læsi, restitutione in integrum
gaudeant, apparet in effectu fere idem esse, ac si non
obligentur. Promittere autem quilibet possunt, vel
ipsimet præsentem, vel per alios, nimirum mandatarios
specialissimo ad promittendum mandato instructos.

Personæ quæ
promittendo
se obligare
possunt?

B 3

§. XVI.

Quenam ob-
jectum pro-
missionis?

Objectum promissionis non solum jure naturæ sed & civili validæ possunt esse tam res, quam facta. *L. 3. pr. de O & A.* In illis requiritur, 1) ut vel sint in rerum natura, vel fore sperentur, *L. 46. ff. de pact. L. 8. ff. de contrah. emt. L. 83. §. 5. ff. de V. O.* 2) Ut sint in commercio *c. l. 83. §. 5. ff. de V. O.* 3) Ut ex speciali ratione conventio de iis non sit interdicta, *t. t. ff. & C. de Litigios. L. 4. pr. de Legat. 1. pr. J. quib. alien. lic. vel non.* Facta pariter sint necesse est, 1) possibilia, *L. 35. pr. L. 72. & 173. §. 5. & 6. ff. de V. O. L. 185. de R. J. quam maxime autem* 2) honesta & licita, *d. L. 35. §. 1. & L. 26. de V. O.* Facta porro illicita sunt talia vel ipso jure naturæ, *L. 6. C. de pact. L. 7. §. 3. & § 7. l. 27. §. 4. cod. vel civili, l. 42. ff. de V. S. e. g. promissio seu pactum de quota litis, l. 53. ff. de pact. l. 6. §. 2. ff. de postul. l. 1. §. 12. ff. de extraord. cognit. l. 15. C. de procurat. & l. 5. C. de post. item pactum de futura successione in bona adhuc viventis citra ipsius consensum, eaque sive obtinenda *l. 61. ff. de V. O. l. 15. & 19. it. fin. C. de pact. l. 5. C. de pact. & l. 4. C. de inutil. stipulat. sive conservanda, l. 15. C. de pact. & l. ult. ff. de suis & legit. hered. sive tandem omittenda & repudianda, l. ult. ff. de suis & legit. l. 94. ff. de acquir. vel omitt. hered. l. 3. C. de collat. l. 35. §. 1. C. de inoff. testam.* Interim moribus nostris valent pacta de hæreditate acquirenda vel conservanda, nec non ea quibus hæreditati renunciatur.*

Caput

Caput II. Speciale

De promissione sub fide Nobilium.

§. I.

PER promissionem sub fide Nobilium nihil aliud Quam intelligo quam asseverationem illam, quæ fit à personæ No- Nobilibus sub dispendio honoris seu honestæ existi- bilium nomi- mationis, quam recepto apud nos vocabulo die Cava- ne hic indigi- centur? ter-Parole vel das Versprechen bey Gräfl. oder Adelichen Treu/ Glauben und Ehren/ dicere solemus. Voce autem Nobilium non solum nostros strictè sic dictos Nobiles, qui Baronibus & Comitibus contradistinguuntur, & in vernacula nostra Edelleute vocantur, sed, in latiori significatione eadem sumta, omnes generis splendore conspicuos & Illustres, consequenter etiam Barones & Comites, qui quandoque sub nomine des Hohen Adels venire solent, dicta voce comprehendendo.

§. II.

Quod Virorum Illustrium verba, stipulationes & Nobilitatis promissiones ob splendorem dignitatis majorem vim ratione fidei & arctiorem obligandi nexum quam Privatorum ha- habendæ præ- beant jamdum agnovit AVRELIUS ARCADIUS CHAR- rogativa, & SIVS, Magister libellorum, autor *l. un. ff. de offic. Præf. Præf.* inibi enim: *Credidit, inquit, Princeps, eos, qui ob singularem industriam, explorata eorum fide & gravitate ad hujus officii magnitudinem adhibentur, non aliter judicatos esse pro sapientia ac luce dignitatis suæ, quam ipse foret judicaturus.* Et hanc fidei exuberantis prærogativam

tivam Nobilitas Germaniæ merito sibi arrogat, tantum enim abest hujus dulcissimæ Patriæ nostræ Nobilitatem, quoad dignitatem spectatamque integritatem ulli Europæorum Nobilitati cedere, ut potius virtutum tam bellicarum quam politicarum fama, præsertim autem intemerata fide quamcunque aliam facile vincat, æque nimirum ac antiquitate sua cum Romana & Græca ipsam certare posse haud inidoneis argumentis adstruxit in historica Germaniæ antiquitate peritissimus BVCELINVS, adeo ut statuat, quod si Roma nostratum Heroum Nobilium æmulos unquam habuerit, hi secundi tantum fuerint, non primi, & longo sæpe intervallo secundi, *in Opere Hist. part. I. parte 3. in Genealogia f. 2. & seqq. nec non part. 2. parte 3. a princip.*

§. III.

Ne autem tributa Nobilitati nostræ præcellentia teste solum hoc domestico nitatur, non possum non extranei etiam hac de re luculentum testimonium afferre in medium, & quidem quod mireris, *Franci*, seu (ut minus convenienter denominare solemus,) *Galli* citra fuetam alias huic genti erga Germanos invidiam, egregio sequenti elogio Nobilitatem nostram mañtantis: *La Noblesse des Princes d'Allemagne est sans doute la plus ancienne & la plus entiere de l'Europe, non souilliee de moindre sang, ny d' alliances honteuses, comme il arrive en d' autres pays; descendue, pour la plus part de ces vieux Empereurs, qui ont mis par leur vertu l'honneur de l'Empire en leur maison, vid. Discursus de l'Empire, & des Princes & Estats d'Allemagne fol. 63. n. 20.* Antiquioribus temporibus celebratissimam ritem fuisse Germanorum fidem atque

atque candorem tam notum est, quam quod notissimum, liquidem e. g. Imperator Maximinus, teste HERODIANO, *potissimum fidei Germanorum confidit, propter summam fidelitatem.* Hinc jam suo tempore Romanorum Imperatores AVGVSTVS, TIBERIVS, alique hunc honorem pugnacissimæ & fidelissimæ genti nostræ exhibuere, ut cohorte Germanorum ad custodiam corporis uterentur usque ad Galbam, qui licet eam dissolverit, factum tamen hocce suum successoribus suis tam parum probavit, ut illico eam reduxerint utpote *multis experimentis fidelissimam*, testante id SVETONIO *in vita Galbe cap. XII.* quid quod? jam prisco tempore Frisiorum Legati Romæ in omnium orbis universi ordinum confessu cum Romanorum stupore gloriati sunt: *Nullos mortalium armis, aut fide ante Germanos esse*, referente id TACITO *Lib. XIV. Annal. cap. 50.*

§. IV.

Intemerata hæc fides atque integritas cum in excellentiori gradu in Nobilibus nostris jam olim spectata fuerit, factum hinc fuit, ut ipsorum promissiones *sub fide nobilitatis factæ*, promissioni juratæ æquiparatæ tandem fuerint, quemadmodum id quotidie in Camera Imperiali observari tradunt & præjudicii confirmant GAILL. *Lib. II. Observat. 59. n. 7.* GYLMANN. *l. 1. decis. Camer. 14. n. 31.* MEICHSNER *tom. 1. decis. Camer. 2. n. 30. §. 142. nemque decis. 8. n. 10. §. 25.* quibus adstipulantur SCHVRF *Consil. 37. n. 11. Cent. 2.* CÖLER *in Pr. execut. l. 1. cap. 10. n. 251.* SCHRADER *Consil. 1. n. 455. lib. 1.* & aliorum Jctorum nubes, quos citat VVLTEJVS *Consil.*

Cur promissio sub fide Nobilitatis æquiparetur juramento?

*fil. Marburg. 34. n. 91. vol. III. quibus adhuc addi possunt VVESENBECK in Consil. 10. n. 43. l. 1. SETSER de Juram l. 1. c. 16. n. 1. & seqq. & innumeri fere illi, quos citat BESOLDVS Consil. 195. n. 34. & seqq. Et cum, ut antea dictum, præter tot tantosque celeberrimos JCTos, Camera imperialis decisionibus suis sententiam hanc de Nobilium sub fide nobilitatis promissione solenni seu, ut vulgo vocatur, corporaliter præstito juramento, æquiparanda corroboraverit, eadem omnino instar Legis habenda esse videtur, arg. text. in l. 14. pr. ff. ad L. Cornel. de fals. ubi consideranda verba: *hic enim inveni Senatam censuisse, & l. 1. §. hoc autem ff. ad L. Syllanian.* ubi attendenda verba: *sic esse sæpe judicatum;* cum Camera Imperialis non solum ipsam Imperatoriam Majestatem sed & totum Imperium Romanum repræsentet.*

§. V.

Quinam DD. contrarium statuunt?

Inficiari tamen non possum, esse nonnullos JCTos qui contrarium statuunt, nimirum NICOL. REVSNER *decif. 12. n. 30. lib. 4. JOHANN. KOEPPEN quest. decif. 56. n. 13. Consultat. Saxon. part. 1. de contract. quest. 31. in fin. VVAREM. ab EHRENBURG de Fæder. lib. 2. cap. 1. f. 63. Consil. Altdorff. 48. fol. 217. FRANZKIVS in Pand. III. de jurejurando, n. 25. imo GRÆVEN ad Gail. Lib. 2. Conclus. 59. asserere nullus dubitat, nec consuetudine introduci posse, ut promissio vel sub fide Principis facta, jurisjurandi vicem suppleat. Sed temerarii hujus asserti nullas certe video rationes. Forfan talem consuetudinem sanæ rationi & æquitati convenientem, seu, ut vulgo loquuntur, *rationabilem* haud esse putavit hic autor,*

autor, sed absque fundamento. Communiter, quantum novi, hi dissentientes inde sententiam suam fulcire nituntur, quod, ubi nulla est nominis & numinis divini invocatio, ibi nullum juramentum verè tale esse possit. Sed ne hilum hoc ipsos juvare potest. Aliud enim est juramentum vere & proprie tale, aliud asseveratio tali juramento æquipollens, unde à negatione illius ad negationem hujus haud valebit consequentia. Ipsa etiam experientia & usus fori reclamant huic asserto, siquidem jam de suo tempore inter alios MYNSINGER Cent. 1. Observat. 17. n. 4. nostram sententiam communem & totius Germaniæ consuetudine receptam esse testatur.

§. VI.

Ut iniquitas contrariæ sententiæ eo clarius appareat, ad unum alterumque casum illam applicabimus. Ponamus Nobilem Fidejussionem obiisse sub fide Nobilitatis suæ; notum est, (saltem plerique DD. hoc statuunt,) fidejussionem juratam excludere exceptionem beneficii excussionis. Nî loco juramenti hanc asseverationem adjecisset Fidejussor, Creditor Fidejussionem non acceptasset, & ea potissimum ex causa illam accepavit, quod ipse Fidejussor sancte contestatus fuerit, asseverationem hanc ac promissionem sub fide Nobilitatis solenni juramento plane æquipollere, nonne iniquissimum esset nihilominus pronunciare hanc æquipollentiam non esse admittendam, cum tamen fere sit conventionalis, seu talis in quam Fidejussor & Creditor consensere? Et an citra iniquitatem adhuc majorem negari possêt, Nobilem qui sub fide nobilitatis

Quomodo applicatio ad casus quosdam iniquitatem sententiæ contrariæ producat?

ad implendam transactionem aliquam se obstrinxisset, nihilominus eam postea vel impugnantem vel eidem contravenientem, actionem suam amittere, cum pro transigente altero, promissionisque hujus & juramenti æquipollentia eadem hoc in casu ac in superiore militent circumstantiæ, & l. 41. C. de transact. expresse sancitum sit, ut amissione actionis puniatur, qui transactioni juratæ contravenire audeat. Et hunc ipsum posteriorem casum duplici egregio præjudicio juxta nostræ tenorem sententiæ confirmat RICHTER *Decif. XXXIII.*

§. VII.

An eadem pœna sit temeraria promissionis sub fide nob. ac perjurii?

At longe magis controversa est quæstio: an etiam in casu contraventionis quoad pœnam æquiparanda sit promissio sub fide Nobilitatis ipsi juramento, seu, an is qui promissionem suam talem violavit, perjurii pœnam incurrat? plurimis siquidem hoc nimis durum videtur, hinc docent, quod *promissio per fidem gentilitiam solum effectum habeat quoad observantiam, non vero quoad destituendum quempiam honore suo*, GYLMANN *decif. 9. n. 35. lib. 1.* seu quod *pœnam & perjurium in casu contraventionis*, MYNSING. *Cent. 1. Obsf. 17. n. 5.* Sententiæ autem suæ colorem quærunt ex homagii exemplo, ubi nimirum nonnisi ille ejus violator perjurus habetur, qui solenni juramento illud præstitit, non autem is, qui solam fidem interposuit, GVTIEREZ, *in authent. Sacramenta puberum C. si adversus vendit.* COVARRUVIAS *in cap. quamvis P. 1. §. 2. in 6. de pact.* ANT. GABRIEL *lib. 2. commun. conclus.* NIC. EBERHARD, JUNIOR *consil. 56. n. 29.* NOLDEN. *de jure nobilit.*

bilit. cap. 12. n. 62. & seqq. Provocant etiam *ad cap. 1. X de jurejur. & cap. Odis. de reg. jur. in 6.* è quibus item elucescat, quod æquiparatio juramenti & interpositæ fidei non procedat respectu pœnæ. Sed ficulneæ videntur hæ rationes, imo scopum plane non feriunt, haud enim est quæstio de æquiparandis invicem juramento & promissione cujuscunque personæ, sub fide in genere, sed in specie de promissione NOBILIVM sub fide NOBILITATIS, & quemadmodum hanc, non illam æquiparandam esse juramento diximus, ita à diversitate pœnæ violationis illius, ac pœnæ perjurii, ad diversitatem pœnæ violationis hujus ac dictæ perjurii pœnæ non valet consequentia.

§. VIII.

Videtur sane æquipollentiam promissionis sub fide nobilitatis, & juramenti, æqualitas pœnæ non servatæ illius promissionis, & perjurii, pari necessitate sequi, ac umbra corpus comitari solet: æquipollentia enim criminum æqualitatem pœnarum non potest non parere. Et qualenam vinculum esse posset interpositio & quasi oppignoratio fidei Nobilitatis, si impunis esset contraveniens? nullius certe considerationis futura esset apud omnes, adeo ut nemo magis fideret promissioni sub fide Nobilitatis factæ, quam simplici pollicitationi. Hinc qui talem asseverationem à promissario acceptatam non æquiparandam juramento censet ipsismet Nobilibus una ex parte præjudicium adfert, altera vero ex parte deceptionibus simpliciorum latam aperit fenestram.

Cur pœna perjurii hic locum habere debeat?

§. IX.

*Quomodo il-
lud doceat Or-
dinatio Nobil.
Franconia?*

Hæc rationum momenta procul dubio probe ponderavit NOBILITAS FRANCONIÆ, haud enim est verita ordinationi suæ sequentem legem satis severam inferere: Wann ein Frändisches Adliches Mitglied beharrlich wider sein Wort / Trau und Glauben / Brief und Siegel handelt / der wird von der Ritterschafft ihrer Versammlung ausgeschlossen / *part. 1. tit. 11.* infamiam ergo incurere Nobilem qui Nobilitatis suæ datam fidem temeravit nullus dubito asserere. Cæterum diffiteri non possum in excessu mihi videri nonnihil peccare illos, qui promissionem cujusvis sub amissione honoris, famæ & existimationis juramento æquiparant.

§. X.

*Cur distin-
guenda pro-
missio sub fide
nobilitatis ab
assertione sub
eandem facta?*

Distinguendum etiam omnino est inter PROMISSIONEM & ASSERTIONEM sub fide Nobilitatis. Non hæc enim, sed illa juramento æquiparatur, vimque illius & effectum habet; alias enim sufficeret talis assertio fide nobilitatis munita loco juramenti suppletorii, purgatorii, calumniæ, malitiæ, perhorrescentiæ, minorationis, in litem, & quæ aliæ sunt species juramenti adsertorii, cum tamen quotidianus fori usus nos doceat à nullo horum juramentorum per assertionem sub fide nobilitatis Nobiles se liberare posse. Cujus rei ratio non admodum obscura est, omnia enim hæc juramenta concernunt res oculis hominum occultas & vix unquam detegendas, in quo etiam ratio consistit, cur juramento subjiciantur e. g. suppletorium quis jurat ad fidem faciendam parti adversæ, vel
Judici

Judici saltem, verum id esse, quod plene probari non potest, sed semiplene solum probatum fuit. Purgatorium juramentum, cum deferatur ei, contra quem minus quam semiplene probatum, ad elidendas suspensiones quibus gravatus est, *cap. 13. X. de purgat. can.* patet & illud ad res spectare, quarum certa scientia haberi nequit: atque pariter res comparata est cum reliquis ante memoratis imo cunctis juramenti adsertorii speciebus. Cum adeo quis citra ullum fere periculum detegendæ veritatis & metuendæ infamiæ falsum quid sub fide nobilitatis asserere posset, in haud exiguum sæpe alterius præjudicium, inhumanum foret, alterum cogere, ut asseverationem sub fide nobilitatis loco juramenti adsertorii acceptet, tantundem enim esset ac si alter ille adigeretur simplici assertioni Nobilis eandem fidem habere ac juratæ, eo quod his in casibus asseveratio sub fide nobilitatis ob impunitatis certitudinem nudæ pollicitationi æquiparanda.

§. XI.

Nec multum momenti haberet objectio, si quis diceret, experientiam tamen nos docere, perjuriam non raro detegi, ac per consequens non sine periculo infamiæ Nobilem asseverationem sub fide nobilitatis facere posse in casu, quo falsum assereret. Respondere enim 1) sic tamen minimum concedi, quod non indistincte asseveratio sub fide nobilitatis alicui obtrudi possit loco juramenti adsertorii, sed iis in casibus illam tantum locum habeat, in quibus detectio veritatis aliunde sperari posset; 2) sufficiens hoc plane non esse si vel maxime non sine aliquo periculo incurrendæ

*Cur objectio
quæ hic fieri
possit parum
momenti ha-
beat?*

dæ infamiæ dicta asseveratio à Nobili fieri posset; nam adhuc facile ad fallendum allicere imo inducere ipsum valebit spes longe major evitandæ, quam periculum incurrendæ infamiæ, cum in casibus juramento tali subjiciendis vix centesimus ita sit comparatus, ut spem concipere liceat veritatem in posterum eruendi. Omnino nempe requiritur, ut certo & inevitabiliter qui sub fide nobilitatis aliquid asseverat, infamiam incurrat in casu, quo fidem fallit, si movere debeat quemquam asseverationem talem loco juramenti acceptare.

§. XII.

Cur olim sepius, quam hodierno tempore fieri solet, promissionem hanc loco juramenti acceptarint?

Dixi non obtrudendam esse alteri cuidam à Judice asseverationem sub fide nobilitatis loco juramenti assertorii, nemo enim cui illam pro hocce acceptare volupe est, id facere prohibetur. Idque olim sæpe sæpius factum esse plane persuasus sum, eò forsan quod tum infamia facti haud exiguum habuit effectum, quo hodie eheu! penitus fere destituitur; conjectu enim facile est, ex Nobilium ordine personam si temeratam fidem infamia revera sequatur, omnem lapidem moturam, ut eam evitet, imo potius jacturam omnium bonorum facturam, quam promissum sub fide nobilitatis destitutam juxta illud:

*Omnia si perdas, famam servare memento,
Qua semel amissa, postea nullus eris.*

Quod Majores nostri ita elocuti sunt in vernacula nostra: Gut verlohren / etwas verlohren; Muth verlohren / viel verlohren; Ehre verlohren / alles verlohren. Nullus dubito si hodieum infamia juris & facti non omni pene

pene effectu destitueretur, facile fore ut nemo fere non promissionem sub fide nobilitatis, promissioni juratae æquipararet, aut saltem, ut in eadem quivis majorem collocaret fiduciam, quam impræsentiarum in fide jurata collocare solemus.

§. XIII.

Qui conjecturæ huic meæ fidem detrectat, consideret modo, quæso, quantæ etiamnum considerationis sit in militia promissio s. obligatio sub fide nobilitatis; annon in hunc usque diem in viridi adhuc sit observantia dimissio ad certum tempus bello captorum officialium nobilium, vel Nobilibus æquiparatorum, à summo copiarum Præfecto usque ad Vexilliferum, sub fide nobilitatis, die Loslassung der Ober-Officire auf Cavalier-Parole? hanc promissionem sæpe sæpius videmus adigere, ut molestissimæ captivitati se reddant, summos pariter ac medioxummos, ad certum temporis intervallum dimissos, & adeo occasionem natos captivitati se plane subducendi. Quæ alia autem tantæ efficaciam est causa, quam abominatio infamiæ violatam nobilitatis fidem certo certius secuturæ? Hanc enim evitare jure meritoque omnibus viribus laborat unusquisque cui de meliore luto finxit præcordia Titan, nedum nobilitate alios præcellens. Eo usque autem hoc in casu executio pænæ infamiæ extendi solet, ut nomina fidem datam fallentium patibulo affigantur. Non ergo mirum Nobiles malle redire in captivitatem, quam pro candidatis patibuli publicè declarari.

Quante efficacia promissio s. f. nobilitatis sit in dimissione captivorum?

D

§. XIV.

§. XIV.

*Cur objectio
de licito con-
tra hostem do-
lo hic inutilis
sit ?*

Equidem sunt, qui putant, infamiam revera haud incurrere dimissum ad tempus sub fide nobilitatis ejusmodi captivum, licet non redierit, & promissionem suam destituerit, id ipsum enim eidem vitio haud esse vertendum, cum liceat dolo adversus hostem uti, eumque quovis modo decipere, siquidem stratagemata sint licita. Ast qui ita persuasi sunt, se principiorum juris naturæ & gentium haud satis esse gnaros, produnt. Ut ut enim facile concedatur, hostem variis modis citra juris naturæ & gentium læsionem falli posse, eo quod sensa animi eidem patefacere nulla nos stringat obligatio, & hinc quis possit citra notam mendacii falso loquiis eidem illudere, fictis rumoribus eum terere &c. varie simulare ac dissimulare, quod in stratagematibus fieri solet; pacta tamen atque promissiones æque hostibus ac amicis sancte sunt servanda. Hinc optime GROTIUS de J. N. & G. Lib. III. cap. 1. §. 18. sciendum, inquit, quæ de falso loquio adversus hostem licito, diximus, ad asserentem sermonem, & quidem talem, qui nulli nisi publico hosti noceat, non ad promittentem referenda esse. Nam ex promissione jus speciale ac novum confertur ei, cui fit promissio, idque inter hostes etiam locum habet sine ulla hostilitatis jam existentis exceptione.

§. XV.

*Quenam in-
convenientia
sequantur
sententia, obli-
gationem pro-
missorum hosti
factorum ne-
gantia ?*

Nemo autem inficias ibit pacta atque promissiones hostibus æque ac aliis quibuscum pacem colimus servanda esse, qui consideraverit, quam horrenda ex contraria consequantur sententia. Si enim licitum statuamus, idque vel verbis vel factis declaremus,
pro-

promissionibus hosti datis pactisve cum eo initis nullam subesse obligationem, certo certius est, nullum eundem nobiscum pactum initurum, nullique plane promissioni fidem adhibiturum, quantumcunque etiam de fide servanda contestemur; unde non ante status belli nos inter ac hostem cessare poterit, quam alterutra parte internecioni penitus data. Quis enim pax reduci posset inter belligerantes, quorum alter alteri nullam plane habet fidem? ad condendam pacem enim requiritur, ut legati mittantur, qui de pacis conditionibus tractent, ad id dictis legatis salvo conductu opus est, huic autem non est locus, si licitum est pacta atque promissa in belli statu violare. Nec devictis hostis victor facile parcat, cum, licet homagium itidem ipsi præstiterint, nunquam non metuenda sit seditio, eo quod devicti se haud obligatos credant ad datum hosti promissum servandum, unde non mirum, si victor tandem ad internecionem omnium devictorum procedat.

§. XVI.

Cum adeo evictum sit, summe necessarium esse ut etiam hosti data fides servetur, & adeo dimissum quoque ad tempus bello captum, intercedente ipsius promissione sub fide nobilitatis, ad reditum maximo opere obligari. Et facile sane est conjecturatum, quid infecuturum esset, si obligatio hæc non statueretur, nullum nimirum officialem captivum sub hac conditione unquam dimissurus esset hostis, quod maxime sane damnosum esset bello captis, si quidem ipsis carendum esset insigni plane commo-

Quid consecuturum esset, si promissiones sub f. n. à dimissis captivis non servarentur.

ditate impetrandæ ad tempus tam æqua conditione dimissionis ex captivitate. Sæpe sæpius enim citra hanc dimissionem in eadem pereundum esset captivo, cum absque ea difficulter admodum redemptionis pretium comparare possit; in casu autem quo mediante permutatione liberationem sperant, (Wenn sie Hoffnung haben ausgewechselt zu werden) non raro hæc permutatio in satis longinquum tempus differatur, & interim tamen facillime contingere possit, ut ipsorum præsentia apud lares suos maxime sit necessaria, idque variis ex causis, e. g. ad adeundam hæreditatem, talemve acquirendam ab agnato lethaliter decumbente, adhibitis blanditiis, instaurandamve rem familiarem, & quæ aliæ possunt esse necessitudines.

§. XVII.

Cur omnibus Nobilibus militiæ addictis eo allaborandum ut diuæ promissiones serventur?

Ne igitur Nobilibus militiæ addictis tanto impolterum carendum sit commodo, omnibus viribus ipsis eo erit nitendum, ut à cunctis saulte seruetur promissio sub fide nobilitatis facta ad impetrandam pro certo temporis spatio ex captivitate dimissionem, & adeo non quilibet solum à se ipso procul abesse jubeat datæ hoc in casu fidei violationem, sed etiam omnibus viribus eo allaborandum ipsi erit, ut, si forsan resciscat, alium quandam tale mente volvere propositum, ipsum ab eodem quo unquam fieri potest modo abducatur, aut, si hic, posthabitis omnibus persuasionibus, perfidiæ se polluat crimine, abominationem suam quavis data occasione testetur, ab omni cum ipso abstineat consortio, verbo, ut tanquam infamem ipsum tractet, aliisque tractandum serio svadeat.

§. XVIII.

§. XVIII.

Sed quid? si ejusmodi interveniente promissione ex captivitate ad certum temporis intervallum dimissus, stato tempore, ob morbum fonticum, aliasve ob causas redire non posset, num & hic infamiam incurrisse censendus erit, cum negari non possit, ipsum promissionem suam destituisse? negandum id esse vix quisquam inficias ibit, qui consideraverit, tacitam tali promissioni de stato tempore se iterum sistendo, inesse conditionem: *nisi intervenerint impedimenta*. Magis dubius esset casus, si non sine promissoris culpa impedimenta illa intervenissent, e.g. si aliquid tempore dimissionis suae commisisset, ob quod carceri mancipatus fuisset. Nihilominus statuendum haud videtur, talem infamiam incurrere, cum non tam dolo quam culpa peccarit, & per consequens in tantum condemnandus videatur, quantum interest, quod promisso haud redierit tempore.

Quid statuendum si dimissus sub f. n. promisso stare non possit, cum, vel sine ipsius culpa?

§. XIX.

Magis adhuc intricatus hic casus videtur esse: Principes duo Carolus & Fridericus bellum invicem gerunt, Fridericus nonnullos bello captos, sub fide nobilitatis certo tempore reditum promittentes, dimittit, quemadmodum & Carolus; ex hujus autem dimissis quidam datam fallunt fidem, nec revertuntur, hoc Carolum permovet, ut quibusdam à Friderico dimissis in territorio suo commorantibus, promissumque ad Fridericum reditum parantibus, hunc severe interdicit, quæritur an hi obligati sint, ad sistendum se iterum Friderico, si possint, posthabito severo

Quid statuendum ubi promissus reditus severe sit interdictus?

Caroli interdicto, an vero pro excusatis habendi, si ad Fridericum non revertantur. Pronunciandum videtur, excusationem ipsos quidem mereri in tantum, non autem in totum. Nimirum eatenus excusandi sunt, quod stato atque promisso non redierint tempore, si quidem severum Caroli interdictum sufficientem dubitandi de obligatione ad reditum rationem iis supeditavit. Si autem animum inducerent plane nunquam redeundi, excusari vix ac ne vix quidem possent. Consultissimum foret, ut rem deferrent ad Fridericum, ab eoque peterent, ut Carolum permoveret ad revocandum interdictum, quod ipsos impediret quo minus promissioni suæ stare potuerint. Quod si Fridericus à Carolo revocationem interdicti impetrare non posset, posthabito Caroli interdicto, redeundum nihilo minus esset ipsis, nisi hi forsàn Vasalli Caroli essent, & hic interdicto comminationem addidisset privationis feudorum: tum enim nimis durum foret pronunciare, quod cum amissione feudorum promisso suo stare obligati sint. Ut ut enim Carolo jus haud competit, hoc in casu Vasallis suis à Friderico bello captis à promisso in captivitatem reditu arcendi, eo quod non minus ac Fridericus fidem nobilitatis dimissorum secutus sit; nihilo minus cum vi majori arceantur, hæc insuperabili impedimento, à culpa sua haud profecto, æquiparanda erit.

An infamiam incurrat qui rem supra vires sub f. n. promittit?

S. XX.

Nec infamiam incurrit, licet imprudenter satis agat, qui sub fide nobilitatis rem promittit, quam quidem in sua potestate futuram confidit, postmodum

dum autem haud esse comperit, e. g. si quis sub fide nobilitatis alicui promitteret, se procuraturum, ut soror sua alteri huic nuberet, huic autem, vel parentibus ipsius, has nuptias nullatenus persuadere posset. Interim omnino talis obligatus esset ad omnes vires intendendas, ut has procuret nuptias, hoc enim si intermitteret, qui ab infamia absolvi posset, non video, nisi forsitan personam promissarii postea minus honestam vel simile quid compertus esset, tum enim harum nuptiarum procuratio minus honesta esset. Quemadmodum autem nequidem juramento ad rem inhonestam se quis obligare potest, ita nec per promissionem sub fide nobilitatis.

§. XXI.

Coronidis loco dispiciam nonnihil de illorum argumentis, qui plane permissum non esse cuiquam sub amissione fidei, honoris atque famæ promissionem evinci posse autumant. Potissimum ipsorum huc reddit argumentum: quemadmodum privata conventionne memini licet vitam suam oppignorare, seu semet sub jactura vitæ obligare, cum nemo vitæ suæ sit Dominus, ita nec valere potest privata promissio sub dispendio honoris ac fidei seu honestæ famæ, eo quod fama & vita pari passu ambulant, *L. 9. ff. de manumiss. vind. L. 36. pr. ff. de fideicom. lib. L. 7. ff. ad SCt. Trebell.* Sed respondetur: æquiparationem hanc famæ ac vitæ debere saltem secundum quid accipi, ratione scilicet enixissimi illius studii, quo fertur vir bonus ac honestus ad conservandam vitæ famæque integritatem, adeo, ut vel mori potius eligat, quam, amisso honore, vitam


Cur promissio sub amissione fidei non sit habenda pro illicita?

vitam cum infamia transigere. Aut etiam dicta fama & vitæ æquiparatio intelligi potest de competentibus utrinque juris remediis, quibus & vita & fama æque legitimo tramite rectissime defenditur & vindicatur, STRYK *de jure homin. in scips. c. 5. n. 7.* de cætero vero ubi potior vitæ, quam famæ ratio apparet, vel alia disparitatis ratio adest, rectius statuitur æquiparationem hanc locum haud habere, *vid. L. 38. §. 5. ad L. Jul. de adulter.* Quando porro argumentantur: quod quemadmodum de jure non valeat conventio, qua quis in casu e. g. non factæ solutionis se obligat ad carcerem privatum, eo quod jus incarcerandi in privatorum haud positum sit arbitrio, sed partem constituat mixti imperii, *L. 9. §. fin. ff. ad L. Jul. Pec.* ita nec jure consistere posse conventionem de jactura famæ in casu non adimpletæ promissionis, hæc objectio adhuc longe minoris est momenti, in aprico enim est illius inconsequentia, cum in tali conventionem nec promissor nec promissarius in jura Magistratus vel mixti imperii involare deprehendatur. Ulteriora magisque exasciata de hoc themate in medium adferre temporis angustia prohibeor, vela hinc contra ho, L. B. rogans, ut si quædam quæ minus ad palatum sint deprehendat, ob festinationem id excuset, ac cogitet, quod non elaboratum hac de re concinnare tractatum, sed qualecunque specimen academicum deproperare meus fuerit

F I N I S.

❧ (o c e) ❧





Erfurt, Diss., 1724

X 2386980







DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE EO, QVOD IIVSTVM EST

31 2
10

**CIRCA PROMISSA
NOBILIVM, 1724, 18**
VERNAC.

Von der Cavalier-Parole;

QVAM

IN PER-ANTIQA VNIVERSITATE ERFORDIENSI
RECTORE VNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,
VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, PRÆNOBILI, AMPLIS-
SIMO ATQVE CONSULTISSIMO,

DOMINO

**CHRISTOPH. IGNATIO
DE GVDENVS, J. V. D.**

INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC
CELSISS. PRINC. ELECTORIS MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EIVSDEM-
QVE PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO;

**EX DECRETO ET AVTORITATE AMPLISSIMÆ
FACVLTATIS IVRIDICÆ**

PRÆSIDE

DN. ERNESTO TENZELL, JCTO,

EMINENTISSIMI PRINC. ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIO REGIMINIS,
IVDICII PROVINCIALIS ERFORDIENSIS ASSESSORE, AC DICTÆ CIVITATIS
CONSVLE PRIMARIO, FACVLTATIS IVRIDICÆ h. c. DECANO,

PRO LICENTIA

**SVM MOS IN VTROQVE IURE HONORES, ET PRIVILE-
GIA DOCTORALIA**

RITE AC LEGITIME CAPESSENDI,
PVBLICÆ DISQVVSITIONI OFFERT

IOHANNES HENRICVS ALBINVS,

ZIBINGA - MARCHICVS.

AD DIEM XXIV. APRILIS, A. O. R. MDCCXXIV.

IN AVDITORIO MAIORI COLLEGII MAIORIS. HOR. CONSVET.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

31

31.